

57  
D. D.

DISSERTATIO GRADUALIS  
LE  
**FOECUNDITATE  
PLANTARUM,**

QUAM

*Consentiente Ampliss. Senat. Philos. In Reg. Acad. Aboënsi,*

P R Ä S I D E

RECTORE MAGNIFICO,

**DN. PETRO KALM,**

Oeconomiaz PROFESSORE Reg. & Ord.

Reg. Acad. Scient. Svec.

Nec non

Societ. Litt. Upsal. SOCIO.

*Publico examini subjicit*

STIPENDIARIUS REGIUS

**LAURENTIUS SETTERMARK,**

*W. GOTHUS*

die XXVIII. Maji MDCCLVII.

loco horisque ante meridiem solitis.

ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Doc.  
Finland. JACOB MACKELL.

I. N. 3.

§. I.



N pulcherrimo Floræ regno tot tamque admiranda occurrunt opera, ut luscus sit, qui ex hōrum consideratione Supremum Numen non agnoscat, atque pectus silice durius gerat, qui hinc non excitetur ad Ipsum venerandum ac celebrandum. Nulla certe humana prudentia, nulla facundia ingenio adsequi & lingua explicare valet summam Naturæ, quæ in campus bene cultis conspicitur, munificentiam, exquisitissimam varietatem atque ambitionem, quam hic ostentat, pompam. Quis radicum vigor? Quam apta fibrarum cohærentia? Quanta caulinum gratia? Quot & quam concinnæ foliorum figuræ? Quanta staminum, pistillorum, antherarum & stigmatum venustas? Quæ denique corollarum dignitas & magnificantia? Nunc lacte & nive sunt candidiores, nunc sanguinem rubore & purpuram nitore æmulantur; nunc iterum stellarum instar radiant. Tanta decora in solo plantarum cortice animadvertisimus; præter ea vero alia innotuerunt phæno-

phænomena, certis vegetabilibus propria, quæ nostra attentione tanto sunt digniora, quanto explicatu difficultiora. *Mimosæ* nonnullæ, dum homo manus versus illas extendit, folia contrahunt, seseque deorsum flectunt, & sic venerationem quasi illi exhibent; recedente autem homine, nutantia levant capita atque erectam recuperant staturam (a). *Vallisnerioides* ob scapum nimis brevem sub aquis tota delitescit; at ubi præsentiam *Vallisneriæ*, sponsæ suæ, sentit, flores illius scapum demittunt, uvida tollunt capita, petala explicant & in amicæ amplexus ruunt (b). Enimvero nec instituti ratio nec ingenii permittit tenuitas vel insignem deliciarum adparatum in Floræ palatiis contentum exponere, vel utilitates auro contra cariores, quas ex plantis decerpimus, indigitare; solam igitur plantarum fœcunditatem quam brevissime explicare conabimur.

(a) *Vide J. G. VAHLBOM Differt. de Sponsaliis Plantarum sub praesidio Nob. Archiatri LINNÆI A:o 1746. habitu p. m. 12.* (b) *cit. Differt. p. m. 44.*

### §. II.

**P**er fœcunditatem plantarum intelligimus media illa, quibus hæc corpora species suas propagant. Duplicem autem in vegetabilibus distingvimus fœcunditatem: unam, qua plantæ seminum ope suum multiplicant genus atque soboles parenti similes procreant; naturalissima & vulgatissima hæc est; altera in eo consistit, quod plantæ per alias partes, quam per sola semina propagantur: hæc minus vulgaris est, atque certo respectu artificialis dici potest.

Ay2

Ut

Ut illa fese exferat, nihil requiritur aliud, quam ut semina in terram fertilem incident; ut hæc vero succedat, atque plantæ ingentes, quas in sinu suo condunt, divitias prodant, humana sæpius requiritur cura atque solertia. Hisce præmissis, obiter monemus, quod licet eorum sententia, qui unicum solummodo sexus par ex qualibet specie in initio productum fuisse arbitrantur (*c*), magna fese commendet probabilitate; hanc tamen in medio relinquimus, partim cum rationes haud contempnendæ ab altera parte se offerant, partim vero, cum nihil certi hic determinent Sacræ Pandectæ; quarum tamen decretis tota hæc stat ceditque controversia.

(*c*) Nob. LINNÆI *Fundamenta Botanica* §. 132.

### §. III.

**A**d demonstrandam vegetabilium fœcunditatem neque ad pretiosos Hesperidum hortos profici-scemur, neque amœna Pæsti roseta lustrabimus; sed plantas sub nostro dīo virentes colligemus, quarum pericarpia sollicite excutiemus, ut semina in ipsis contenta ad calculos revocemus. Notissimum est, quod *almus* plurimos habeat ramos, quorum quilibet sæpe densissimis confertissimisque gaudet capsulis, semina involventibus. Ex dicta arbore, cuius trunci diameter 6 circiter pollicum, distan-tia inter folium atque ramos 20 pedum, ætas duo-decim annorum fuit, ramum quendam octo pedes longum amputandum curavit *Dodartus*, inclytus medicus ac Botanicus Parisiensis (*d*). Computavit deinde semina, quæ in hoc fuerunt ramo, atque inve-

invenit eadem esse 16450; nullam licet haberet rationem seminum, quæ excussa erant vel per ventorum impetum, vel inter cædendum, vel denique cum abscissus ramus ad terram allideret. Porro notandum est, quod in qualibet Ulmo, cujus diameter est 6 pollicum, plures sæpenumero inveniantur rami, quam 10, quorum longitudo est octo pedum. Ponamus autem eos esse decem tantum, atque multiplicetur 16450 per 10, factum 164500 dat numerum seminum, quæ ex longioribus ramis colliguntur. Sed reliqui omnes ulmi nostræ rami suis etiam gravius seminibus, superficiem habent multo majorem dupla superficie decem longiorum; ponamus vero illam duplam tantum esse, quoniam horum ramorum fœcunditas est minor; erit numerum seminum in ramis brevioribus simul sumtis 329000. Quamobrem ulmus hæc spatio unius anni producit 493500 vel 500000 semina; qui numerus, quantumvis magnus, a vero tamen potius deficit, quam eundem excedit. Vulgari denique innotuit experientia, quod ulmus per centum annos ad minimum perduret, antequam fatiscat & concidat. Ponamus igitur fœcunditatem, quam habet isthæc arbor anno ætatis duodecimo esse mediam inter maximam & minimam ubertatem, prœcul enim dubio media fertilitas est hac major, & multiplicetur 500000 per 100, factum 5000000 dat numerum seminum, ab unico grano per centum annorum spatium productorum.

(d) *L' Histoire de L' Academ. Roy. des sciences de Paris pour l'année 1700.*

## §. IV.

Cum amœnitates, quas ex consideratione fœcunditatis plantarum percipimus, admodum sint jucundæ; vix unum solummodo exemplum curiosam ac sciendi avidam mentem satiare potest. Ne itaque in summa rerum copia nimis parci videamur, quasdam adhuc observationes proponemus. Refert *Dodartus* se in horto quodam vidisse ex unico semine *Tritici spica multiplici Raji Synops. Method. Stirp. Brit.* pag. m. 245. progerminatos fuisse 32 culmos, quorum quilibet decem spicis erat instrutus. In unaquaque novem spicarum lateralium erant 30 grana, adeoque summa granorum lateraliū fuit 270, media spica continebat 36 grana; quamobrem unus culmus ferebat 306 semina. Porro multiplicetur 306 per 32, factum 9792 exhibet numerum granorum ex unico semine intra annum spatium prognatorum (e). Refert D. Præses se in Uplandia Anno 1743 ex una radice *Secalis* in terra fertili crescentis enatos vidisse 77 culmos spicis suis singulos onustos, quarum quilibet circiter 60. seminibus gaudebat; si 60. per 77. multiplicetur, factum dat 4620, numerum scilicet seminum ex uno grano intra anni spatium productorum. LAUREMBERGIUS in *Helenio* 3000 semina ex una radice numeravit. Idem in una planta *Zea* 2000 semina invenit; In *Heliantho* 4000 observavit *Camerarius*. In *Papavere* invenit *Trevius* quatuor capita: in quolibet capite decem receptacula; in quolibet receptaculo octoginta semina; quare

quare ex unico papaveris semine 3200 semina fuerunt prognata. Herba *Nicotiana* in solo optimo fata præbuit seculi nostri Botanicorum Principi LINNÆO sex seminis drachmas, quarum quælibet continet sexaginta grana medicinalia: unumquodque vero granum centum & duodecim semina dedit: ac proinde in una herba *Nicotiana* fuerunt 40320. semina (*f*); quæ singula apta sunt aliis plantis in sequenti anno fundendis, quarum quælibet rursus 40320 seminibus est gravida. Ex quibus consequitur, quod numerus seminum, quæ hinc secundo anno proveniunt, erit æqualis quadrato numeri 40320. seu 1625702400; messis tertii anni erit cubus ipsius 40320 seu 65549320768000; quarti autem anni erit 2642908293365760000, & ita porro; adeo ut numerus seminum, quæ centesimo anno colligi pos-

100

sunt, erit (40320) seu 40320 elevata ad centesimam dignitatem. Multitudinem itaque seminum, quæ uni *Nicotianæ* semini suam debent originem exprimit summa progressionis Geometricæ, cuius primus terminus est 1, secundus 40320, tertius quadratum ipsius 40320, quartus ejus cubus & ita porro. In allato calculo posuimus æqualem sese propagandi vim singulis seminibus plantarum ejusdem speciei inesse, quæ sententia perquam est probabilis. Docet enim experientia, quod duo semina plantarum ejusdem speciei, paris ætatis ac gravitatis specificæ, eidem solo commissa, æqualem plerumque seminum copiam præbeant. Idem quo-

que

que structura receptaculorum, quæ & multitudine & magnitudine in plantis modo dictis sunt æqualia, satis evincit.

(e) *Memoires de l' Academ. de Paris 1700.* (f) *Linnæi orat. de Telluris habitab. incremento inserita Tom. II. Amenitatum Acad. page m. 448.*

### §. V.

**M**iratur admodum *Plinius* fertilitatem camporum Babylonicorum, qui sedulos agricultarum labores centuplo fœnore non raro compensant (g). Est quoque hæc fœcunditas perquam insignis; quippe quam Sacra etiam Scriptura passim extollat (h). Ex observationibus autem allatis patet, quod si grana quævis terræ mandata concessam sibi fœcunditatem exfererent, longe adhuc majores messes ex agris bene cultis colligeremus. Jure itaque quæritur, cur cerealia dona adeo sint pauca? cur rationes Oeconomicæ a nostra computatione immagine quantum differant? Defectus hujus variæ sunt cauſſæ. Nam 1:o singula semina non sunt æque matura. 2:o Nec quævis gleba cuiuslibet generis frumento est pariter apta. 3:o Artem recte ferendi quisque non calleſt. 4:o Cæli constitutio vegetationi plantarum ſæpe non favet. 5:o Nimia aquæ vel abundantia vel inopia tristem parit sterilitatem. 6:o Multa grana consumunt aves, alia autem vermes & insecta corrodunt. 7:o Fœcundatio, delicatissimum Naturæ opus, interdum per pluvias, interdum per ventos, interdum vero per infectorum agmina turbatur. 8:o Incuria denique hominum, multum frumenti, dum metimus, disperditur;

¶) 9 ( ¶  
perditur; ut alias causas impeditæ plantarum fœcunditatis sicco præteream pede (i). Contra ea, per soli cælique clementiam, semen maturitatem atque justam aquæ quantitatem efficitur, ut agri campique segetibus luxurient, atque opima messe indefessos ditent colonos.

(g) *Histor. Natural. Libr. XVIII. Cap. 17.* (b) *Gen. XXVI.  
12. Matth. XIII: 8.* (i) *Kongl. Svenska Wetenskaps Acad. Handl.  
för År 1740. p. m. 349.*

### §. VI.

**Q**uas in §. §. III. & IV. adduximus observatio-nes ad demonstrandam plantarum fœcundita-tem naturalem nobis in præsentiarum sufficiunt; qui plures desiderant, consulant *Theophrastum*, *Pli-nium*, Johannem *Baubinum*, *Rajum* & alios recen-tiorum Botanicorum, qui in hujusmodi deliciis de-promendis suam industriad ac sagacitatem desiderari noluerunt. Filum tractationis ad artificiale plantarum fœcunditatem considerandam jam nos deducit: cuius quidem analogon in regno animali modernorum Naturæ Curiosorum solertia detexit, sed exempla intra quasdam vermium & insectorum species haetenus subsistunt. Admirandum hic aperi-tur fœcunditatis theatrum, cum plantæ non solum per quaslibet fere partes, verum etiam partium particulas citius non raro propagentur, quam per semina, huic operi in primis destinata. Sic ex ra-dicibus nonnullarum plantarum in plurima licet fru-sta dissectis, tot novæ excrescent plantæ, quot fuerunt fragmenta. Pariter per amputatos fruticum

B

ac ar-

ac arborum plurimarum ramos, stolones, gemmas & decerpta folia rite præparata ac caulis vel terræ probe inferta, aliæ arbusculæ brevi obtinentur (k). Hi autem & alii artificiales modi plantas multiplicandi in naturali fœcunditate penitus fundantur; adeoque nihil patrocinantur generationi æquivocæ, infelici veterum Philosophorum abortui. Concessa enim est ramis, gemmis, foliis, cæterisque vegetabilium ex feminibus ante productorum partibus talis fabrica, ut quælibet earum terræ vel arboribus infixæ, ex ipsis succum nutritum extrahat, extractum digerat, digestumque, per totam substantiam rite distribuat, uti ex experimentis constat Halesianis (l); quare unaquæque pars integræ in se continet plantulam, positæ certis ac necessariis circumstantiis sese evoluturam (m). Quali structura cum plerorumque animalium membra destituantur, nec ipsa simili propagari possunt modo.

(k) *Agricolæ versuch der universal vermerung aller bäume, staude und blumen-gewächse Part. I. p. 155.* (l) *vegetable Staticks Tom. I. Cap. IV.* (m) *Brouallii Examen Episœdos Siegesbeckianæ p. m. 8.*

### §. VII.

**E**xplícata sic pro materiæ dignitate breviter, sed pro instituti ratione sufficienter, indole ac natura artificiales plantarum fœcunditatis; reliquum est, ut hujus quoque quantitatem jam expendamus. Eum in finem unam tantum fœcunditatis hujus speciem examinabimus. Invenimus in §. III, quod ex unico *Ulm*i femine, post centum annos sint productæ 50 millions feminum. Enimvero amputemus arborem modo memoratam paulo infra ramos, solo trunco relicto; hic circum acceptum vulnus novos emittet ramos, qui post aliquot annorum decursum longitudine, crassitie ac numero amputatis nihil cedent; proinde

Hi quoque parem feminum multitudinem quotannis fudent.  
 Si rursus infra exsertos hosce ramos ad profunditatem 6 linearum amputemus arborem nostram, similia observabimus phænomena, ramos scilicet prope incisuram extensos, foliis, gemmis ac feminibus luxuriantes. Quamvis autem isthac amputatio per totum truncum continuetur; ulmus tamen juxta quamlibet casuram eandem semper monstrabit fœcunditatem; quod exemplo arborum *Nanarum* in primis constat, quæ infra solum licet resectæ, novos nihilominus ramos brevi post ejaculantur. Ex quibus luculenter patet, quod quilibet truncus a solo usque ad ramos sit exiguis quasi embryonibus repletus, qui quidem simul & semel suam non produnt fœcunditatem; hanc tamen insigni copia ipsis inesse arboris amputatio satis ostendit. Concipiamus itaque ulmi truncum divitium in Cylindulos, quorum quisque est 6 lineas altus: ex demonstratis consequitur, quod cuiuslibet eorum insit potentia tot ramos, suis gravidos feminibus, producendi, quot in integra ulmo non secta ac duodecim annos nata reperiantur. Erat autem arboris nostræ truncus 20 pedes longus; quare dividendo 20 pedes seu 2880 lineas per 6, quotus 480 dabit numerum cylindrulorum in hoc trunco contentorum. Multiplicetur 5000000 per 480, factum erit 2400000000; adeoque numerus feminum, quæ ulmus quælibet per vires sibi concessas intravitæ curriculum producere valet, est 2405000000. Nullam hic habemus rationem fœcunditatis, quæ per amputatos ramusculos & decerpta folia promovetur, quamvis non ignoramus, illam ingentem esse. Stupet vero animus, dum recordatur, quod unumquodque ulmi semen novam in se continet arborem, totidem etiam granis fundendis aptam, & quod raro detur aut semen nullum arboris rudimentum habens, aut ulmus vegeta feminibus non fœcunda, vel quæ minorem illorum multitudinem contineat, quam illa in cuius consideratione

hacte-

hactenus suimus occupati. Proinde numerum seminum, quæ unico ulmi semini ortum debent, exprimit summa progressio-  
nis Geometricæ, cuius primus terminus est 1, secundus  
 $2405000000$ , tertius  $5784025000000000000$  seu qua-  
dratum ipsis  $2405000000$ ; & ita porro. En itaque seminum  
plantarum promum condum infinitum ac vere inexhaustum.

Quanta artificialis fœcunditatis sit utilitas, ne quidem  
rude ignorat vulgus. Etenim dum recentes segetes in nimi-  
am altitudinem tempore autumnali ex crescunt, oves aliaque  
immitti solent pecora, quæ excelsos depascant culmos. Hoc  
facto ex eadem radice plures ejaculantur culmi laterales,  
& pecora ob opimo hoc pabulo, sine ulla agricolæ jactu-  
ra, pingue scunt. Hinc Virgilius cecinit:

Quid? qui ne gravidis procumbat culmus aristis  
Luxuriem segetum tenera depascit in herba (n).

(n) *Georgic, Libr. I. v. III. 112.*

### §. VIII.

**A** Mœna Floræ vireta, ridentesque campi exiguo solum  
temporis spatio nos detinuerunt; tantam tamen in his  
magnalium Divinorum abyssum sumus contemplati, ut inge-  
nium, etiam felicissimum, transcendat, atque imaginantis a-  
ciem obtundat. Considera mecum, quisquis sis, sapientissimam  
Naturæ œconomiam, mutuamque rerum creatarum relationem,  
qua humus plantas alit, hæ animalia nutriunt, omnia vero in  
hominum utilitatem condita dici possunt. Perpende quam o-  
pulentum penu innumeris animalibus in ingenti plantarum fœ-  
cunditate sit repositum. Hæc pie mirare, ac DEUM omnis boni  
fontem & Auctorem precare, ut gravis illa, sub qua ingemisci-  
mus, annonæ caritas tollatur, atque agricolæ latis messibus re-  
creentur; quo unusquisque nostrum sub sua sicu tranquillam  
& vegetam degens vitam, laudes Ejus celebret & extoliat.

